



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Thierhauptense monasterium, tertio lapide ab Augusta Videlicorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

Carolomannum Bonifacius Christianis non modò vitæ præceptis imbuerat, sed philosophari iam tum quoque docuerat. vnde ipsum ad omnia inchoatæ Religionis opera promptum, & monasticæ in primis rei patronum excellentem habuit. Iam verò Carolomanno per Turingos & Oriëntales Francos, ob motus Saxonicos frequens iter erat, vt ex facili, locum & sedem roganti Bonifacio apud Fuldam concederet. Qua de re vide lib. 2. Othlonum Fuldensem monachum, qui primus post S. VVilibaldum vitam S. Bonifacij accuratius exposuit.

Ceterum Abbas Fuldensis est Primas per Germaniam & Galliam, Princeps imperij & Imperatricis Archicancellarius; Ex monasterio ac schola Fuldensi quamplurimi Episcopi, Archiepiscopi & viri scriptis celebres prodierunt: de quibus vide Christophorum Brotlerum Soc. Iesu presbyterum, qui libros 4. Antiquitatum Fuldensium conscripsit.

*Thierhaubtense monasterium, tertio lapide ab Augusta Videlicorum.*

750. **E**st id non procul à Lico ad riuum Achsitum, fundatum in honorem SS. Petri & Pauli Apostolorum, à potentissimo Duce Bauariæ Tesselone, anno Domini 750. quo fere tempore idem Dux *VVessespromen* eiusdem ordinis Abbatiam, inter Amperam & Lycum fluuios erexit; auctum verò & locuplerta-

pletatum à *Lothario* Imperatore, Ludouici Pij filio, anno Domini 846. teste Ioanne Auentino lib. 4. Annal.

Tertiò demum est auctum à *Gebhardo* Ratisbonensi Episcopo, Comite Diessensi, & Hochenvvartensi, secundùm Ioannem Auentinum in Annalibus, non VVitlspacensi, vt Bruschius in sua Centuria opinatur, necnon à fratre dicti Gebhardi Episcopi Comite *Rapothone*, fundatore Hochenvvartensis monasterij, & *Hemma* eius coniuge, quam Bruschius alibi Ducissam Austriæ, alibi verò, Comitissam VVerdeæ vocat, quod verisimilius est, anno 1022. Contulerunt autem huic monasterio & VVitlspacenses Comites, multa bona Mattheus Marscalcus Canonicus Augustensis, in libro suo de Palatinis, ca. 50. & 79. refert aliquas inscriptiones in hoc monasterio extantes, de Palatinis VVitlspacensibus, & eorum donationibus.

Sub Ioanne Abbate XIX. viro magni ingenij & consilij, Ludouici Bauariæ Ducis Consiliario incendio perijt monasterium, estque per eundem magnificè restauratum, anno Domini 1403.

In bello Bauarico hoc monasterium vnà cum pagis suis miserè vastatum est. Albertus Dux Bauariæ pro restauratione ipsius dedit Teloneum & Vngeltum, vt vocant, anno Domini 1506. Petrus Abbas ita restituit atque instaurauit, vt eius secundus fundator dici meruerit, qui anno 1511. obiit; Ita Hundius.